



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

3. Zelus læsæ fidei conjugalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Flet Philomela nefas incesti Tereos, & quæ
Muta puella fuit, garrula fertur avis.

III. (c) Disce præterea, quid sit irritasse Zelum conjugalem. Salomon Proverb. c. 6. *Zelus & furor viri non parcat in die vindictæ.* Tragicum est, quod ex Balinghen de triumpho castitatis refert Henric. Engelgrave Dom. 15, post Pentec. Vir illustri Pedemontanus, deprehensa uxore in adulterio, exarsit adeo, loris ut mœcho manus & crura constringi præciperet; carnificis vices uxorem, ac pedisequam, eius lenam, subire coëgit, & amasium ad trabales clavos parieti infixos suspendere. Quo supplicio peracto, fenestras & ostium infamis cubiculi opere cæmentario ocludi, & illic conjugem cum ancilla includi curavit, pane & aqua per angustam rimam suppeditatâ; donec putrescentis cadaveris intolerabili fœtore ambæ horrendum in modum contabuerunt. Similis & reciprocus, quin etiam furentior est Zelotypia uxorum in maritos ruptæ conjugalis fidei reos. Illæ enim implacabiles rugiunt, & sæviunt non aliter, quàm leonæ vel tigrides raptis catulis, nec prius desistunt, quàm furori suo, maritali sanguine litarint. Ita scribit Cicero lib. 2. offic. Alexandrum Pheræum Thessalorum regem, à Thebe uxore interfectum propter pellicatûs suspicionem. Et Justinus lib. 26. narrat, *Demetrium* Antigoni Macedonum Regis filium, jussu *Arsinoës* uxoris interemptum, quod cum Berenice socru stupri consuetudinem haberet. *Clytemnestra* audito Agamemnomem maritum Chryseidos Thebanæ puellæ amore teneri, se adulterio cum *Ægistho* polluit, & eius ope, maritum interemit. Sed multorum instar est, quod scribit Apollonius Rhodius lib. 1. Argonaut. Lemnias mulieres Zelotypiâ incensas, quod mariti captivas quasdam feminas adamarent, eos omnes, & præterea genus universum masculinum obruncasse. Memorabile est, quod de *Chiomara* Tolisto-Boiorum regina refertur, eam pudoris sibi captivæ à Centurione erepti injuriâ concitatam, dum persolutô Iytrô, osculum ab abeunte rapit odiosus amator, homini nihil tale metuenti per duos servos caput abstulisse, illudque veste involutum, velut opimum pudicitæ triumphantis spoliû ad mariti pedes abjecisse. Andreas Brunner in Annal. Boior. ex Val. Max. lib. 6. Verè Satyricus:

----- mulier sævissima tunc est,

Cùm stimulos pudor admovet. Juven. Sat. 10.

Et Seneca in Medea:

Nulla vis flammæ, tumidique venti

Tanta, nec teli metuenda torti,

(c) *Zelus fidei conjugalis læsæ.*

Quanta

Quanta cūm conjux viduata tædis
Ardet, & odit.

Et Ovidius lib. 2. de arte amandi.

Sed neque fulvus aper mediâ tam sævus in ira est,
Fulmineo rabidos dum rotat ore canes.
Nec lea, cūm catulis lactantibus ubera præbet,
Nec brevis ignaro vipera læsa pede.
Gemina quàm socii deprensâ pellice lecti
Ardet, & in vultu pignora mentis habet.

De Progne idem Naso:

Nec mora: traxit Iryn veluti Gangetica cervæ
Lactentem foetum per silvas tigris opacas:
Tendentemque manus, & jam sua fata videntem
Et Mater, Mater, clamantem, & colla petentem
Ense ferit Progne, lateri quâ pectus adhæret,
Nec vultum vertit; Satis illi ad fata vel unum
Vulnus erat.

In hanc rabiem efferat sive viros, sive feminas dolor, quos ultio violati thalami stimulat. Nec rarò sola suspicio immanes in hac Scena tragœdias excitat. Nota est historia de Ludovico Severo, Bojorum Principe, Donawertæ sedem habente; qui ob litteras ad Mariam conjugem, feminam integerrimam, à Ruchone dynasta datas, & ab ipso interceptas, ac malè intellectas, primò latorem, tanquam lenonem ferro obruncavit; deinde præfectum aulae jugulari, Matronam gynecæi præsidem ex alta turri præcipitari, conjugis caput per carnificem amputari jussit. Tot funeribus stetit unica temerati matrimonii suspicio. Ajunt Ludovicum prima statim à cæde nocte, sive facinoris fœditate, sive Mariæ Manibus exagitatū, cūm barba florente, & juvenili, decorâque coma, cubitum se contulisset, ita incanuisse, ut manè senem septuagenarium referret, Raderus in Bav. Sanct. tom. 2. in vita Mariæ Brabantinæ.

IV. (d) In Tereo etiam apparet amoris impuri violentia, quem non reverentia soceri, non sacramentum fœderis, non leges, non jura matrimonij, uxorisque respectus, non denique Philomelæ preces ac lacrimæ, ab inferendo per vim & contumeliam puellæ stupro absterruerunt. Dum enim Thrax tyrannus omnia sibi licere existimat, quia omnia possit, non contentus violentum flagitium intulisse miseræ, amore mox in odium & crudelitatem verso, etiam gladio violat calamitosam, & lingua,

(d) *Amoris impuri violentia.*